



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

18. De renunciatione beneficiorum , quam resignationem, vel cessionem
appellant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

quæst. 1. Sed illud in dubio vertebatur, num ea pœna in vniuersum omnes blasphemiam afficerentur, aliis quidem asserentibus, ea pœna tantum mulctari eos, qui maledictis vti frequenter consueuerant, vel vti, moniti, non abstinebant sese; aliis vero docentibus, eam pœnam solum constituit in eos, qui nefarii maledicti generibus utebantur, aliis postremo contententibus id pœnæ genus esse consuetudine abrogatum. Ideo Concilium Lateranense sub Leone X. hunc in modum constituit: *Quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosissime atque obscenè verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel Beatam Virginem Mariam eius genetricem expresse blasphemauerit, si Sacerdos, vel Clericus fuerit, eo ipso die, quo de huiusmodi delicto fuerit convictus, beneficiorum quacunquē habuerit, fructibus vnius anni multetur pro prima vice: pro secunda vero, si ita deliquerit, & convictus fuerit, si vnicum habuerit beneficium, eo priuatur: si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur: quod si tertio eius sceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus quacunquē habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, & conferre possint. Sic ibi decretum est.*

Sexto in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 4. de reformat. Quicumque post vnum beneficium assiduum Clerici præsentiam in Ecclesia postulans, alterum simile obtinet, & eius possessionem adipiscitur, cogendus est auctoritate ordinarii eorum alterum dimittere.

Secundo quaeritur, An Clericus vltra annum in excommunicatione persistens, beneficio sit ipso iure priuatus, An iure priuari debeat? Hanc quaestionem tractauit Ioannes Selua in opusculo de beneficiis pars. 3. quaest. 4. num. 50. Constantis est omnium sententia, non ipso iure Clericum beneficio cadere: An vero iure communi beneficium ei adimi debeat, est in controuersa. Glossa affirmat in cap. 1. de iudiciis, ex cap. Rursus, & cap. Quicumque. 11. q. 3. sic etiam Ioan. Andreas teste Ioanne Selua. At Panoritanus, & Ioan. Selua loco citato negant, eo quod iure communi Clericus à beneficio amoueri non potest, nisi graui ex causa, & delicto: at excommunicationis vinculo nonnunquam aliquis obstringitur sine graui scelere, quamuis nō sine contumacia, & lethali culpa. Vt cumque leues habeat, in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. ad finem, de reformat. sancitum est: Si quis excommunicatus, obdurato animo per annum inforuerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit. Ex quo loco perspicuum est, graue esse delictum, in excommunicatione obdurato animo per annum persistere. Et idem etiam colligitur ex cap. Cum contumacia, de hæres. in sexto. Et cuidam Clerico est beneficium ademptum, quia biennio in contumacia perseverauerit. In cap. Cum bona, de arate, & qualitate ordina.

Quapropter si Clericus monitus, vt ad certum tempus in iudicio se sistat, vel in quauis alia re obediat: alioqui in eum excommunicationis sententia ferretur, & beneficio quod habet, spoliabitur, nisi paruerit, excommunicationis sententia in eum iure ferri potest, in qua si ad annum permanferit, merito è beneficio deiici potest. Sed preter aliquis, An idem iuris sit de Clerico, qui vel suspensus ab officio, vel interdictus sacris ad annum in delicto perseverat? Respondeo, idem iuris esse, quoniam in Concilio Tridentino loco citato dicitur posse procedi contra aliquem de hæresi suspectum, si censuris Ecclesiasticis obstrictus per annum in illis obdurato, & obfirmato animo persistat.

Tertio quaeritur, An qui sodomiticum crimen committit, sit ipso iure beneficio priuatus, an vero priuandus? Rebuffus in praxi, tit. de modis amittendi. Benef. num. 58. censet esse ipso iure priuatum, quia est grauissimum crimen. Sed hoc non sufficit, nisi in iure talis pœna irrogetur: at in iure textus non est, vbi ea pœna in huiusmodi criminolum Clericum sit constituta. Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 249. ait, vi cuiusdam Constitutionis editæ à Pio Quinto, esse ipso iure priuatum, nam Pontifex in ea Constitutione sic ait: *Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios*

Clericos seculares, & regulares cuiuscumque gradus ac dignitatis tam dirum nefas, puta sodomix, exerceat, privilegio Clericali, omnique officio Canonici auctoritate priuatus. Quæ verba cum sint præsentis temporis, inducunt ipso iure pœnam. cap. Excommunicamus, de hæres. Sic ibi Nauarrus, & postea subiungit in huiusmodi pœnam non incurrere nisi Clericum, qui quasi vsu quotidiano id crimen committit: quoniam lata est Constitutio contra Clericos id peccati genus exercentes. Postea dicit capienti mihi, vt solum forum exterius respiceret: idem Sanctissimus respondit, etiam interius respicere, cum non fundetur super presumptione, nec ponat diferimem inter vtrumque forum. Sed certe videtur ea Constitutio, quod attinet ad huiusmodi pœnam, non esse vsu recepta.

CAP. XIX.

De renuntiatione beneficiorum, quam resignationem, vel cessionem appellant.

Vnum genus, quo beneficia vacant, est, cum quis beneficium, quod habet, dimittit. Qui Latine loqui se putant, dicant: cum quis beneficium quod habet, ciurat. Eiuare vero beneficium is dicitur, qui iureiurando interposito, beneficio se abdicat. Porro cum quis suum beneficium deponit, vt dicit Glossa in Rubr. de renuntiat. in Clemen. Canones, & iura eum beneficium resignare, aut beneficium renuntiare, vel beneficium cedere dicunt. Agendum igitur mihi est de ea, quam Canones, & Decreta appellant, beneficii resignatione. Exar ritulus in iure Canonico de renuntiatione, quo nomine intelligitur resignatio, cap. 1. de renuntiat. in sexto, & celsio in cap. ex litteris, de excess. Pralat. cap. Susceptum, de rescript. in sexto.

Primo quaeritur, Quidnam sit beneficii Ecclesiastici resignatio, seu renuntiatio? Sciendum est, multa esse, quibus renuntiamus: nimirum priuilegia, actiones, lites, iura alia, & his similia. In præsentis loco, renuntiatio beneficii, vt colligitur ex Card. Rubr. de renuntiat. in 6. & Rebuff. in Praxi benefic. par. 3. tit. de resign. est voluntaria beneficii dimissio, siue repudiatio coram ordinario legitime facta quo sit, vt cum quis beneficium dimittit, id eo ipso facto vacet, & impetrari, & conferri alteri queat. Vt enim qui priuilegio, lite, actione, & quouis iure alio cedit, eo ipso id repudiat, ita vt eo amplius vti non possit: ita, qui beneficium dimittit, eo ita se abdicat, vt id eius esse desinat, & propterea alteri conferri possit.

Secundo quaeritur, Quotuplex sit beneficii renuntiatio? Respondeo, ex Rebuff. p. 3. tit. de resign. esse duplicem, tacitam scilicet, & expressam. Tacita renuntiatio est, quæ ipso iure facta censetur absque vllis verbis expressis, sed sola ipsius iuris constitutione, & quæ per consequentiam actus contrarii retentione colligitur: vt cum beneficiarius etiam minoribus tantummodo ordinibus initiatus uxorem ducit, aut religionem solemnè more profitetur: aut miles factus arma capit, & in bello pugnat: aut Parochialem Ecclesiam, eiusque iam professionem nactus, intra annum Sacerdos non fit: aut Episcopus electus, confirmatus, & consecratus, suæ Ecclesiæ possessionem adipiscitur, aut qui obtinens beneficium cui cura animarum inest, aut dignitas, aut personatus, alterum simile beneficium, eiusque possessionem consequitur: aut si beneficium in certa Ecclesia habens, alterum siue simile, siue dissimile obtinet in eadem Ecclesia. Expressa renuntiatio est, cum quis sponte suum beneficium expressis verbis coram ordinario legitime dimittit. cap. 1. de renunt. in 6. & in Clem. eod. tit.

Tertio quaeritur, Quotuplex sit renuntiatio beneficii expressa? Responderet Rebuff. loco citato duplicem esse, Vnam, quæ appellatur simplex, & pura, cum quis suum beneficium sine vlla conditione coram ordinario deponit. Alteram conditionalem renuntiationem vocant, cum

quis coram ordinario aliqua conditione adiecta, beneficium dimittit. Condicio vero solet multiplex adhiberi, nam primo quis beneficio se abdicat clausula, & conditione apposita, ut beneficium, v. g. Titio Clerico conferatur: Et hæc renuntiatio, siue resignatio beneficii facta dicitur gratia, & fauore alterius. *Glossa Et alii in cap. ex parte. de offic. deleg. Et Rebuff. in Praxi benefic. tit. de resign. condit. num. 1.* Secundo dimittitur beneficium conditione adiecta: cum is videlicet qui resignat, referat sibi fructus, ex toto, aut ex parte, & ad alterum ius, & titulus beneficii transferretur ex cap. nisi essent, de prob. *Rebuff. in Praxi tit. de resign. in fauorem, num. 3.* vel cum quis referat certam pensionem sibi quotannis soluendam. Tertio, beneficium quis dimittit cum regressu, vel ingressu, vel accessu ad illud: hoc est, referat sibi iure, vel possit ad illud redire, ac eius possessionem nancisci. *Rebuff. in praxi. tit. de resign. in fauorem.* Quarto dicitur conditionalis resignatio, ea que fit causa permutationis, nempe, cum quis beneficium dimittit ea conditione, ut alterius beneficium simile, vel dissimile, sibi conferatur, tunc enim vnus suum beneficium, cum alterius beneficio commutat: ac propterea vterque suo se abdicat beneficio, vel Ecclesie, ut alterius Ecclesiam, vel beneficium obtineat.

Quarto quaeritur, Quibus de causis fit renuntiatio beneficii in Ecclesiam introducta? Innocentius III. ut habetur in cap. Nisi cum pride, de renuntiat. numerat sex causas, videlicet, Confessionem criminis, debilitatem corporis, defectum scientie, malitiam plebis, graue scandalum, & irregularitatem Clerici. Vnde Hostiensis in summa. tit. de renuntiatione, quem postea secuti sunt Ioan. Andreas, Abbas, & alii in cap. citato eas reducit ad sex, vel septem. ait enim: Renuntiat quis beneficio, vel ob confessionem alicuius criminis quo tenetur: vel ob imperitiam, & ignorantiam literarum, vel ob infirmitatem corporis, vel otiositatem, vel ob morbum, ut si lepra laboret, vel si cæcus, surdus, vel mutus factus sit Parochus, vel Episcopus: vel ob malitiam plebis, vel ob grauem aliorum offensionem: vel ob irregularitatem contractam, à qua liberari commode, & facie non potest. Admitti quoque resignatio beneficii solet ob senium Clerici, ob ætas interuentum, ob potentiorum hominum violentiam, vel tyrannidem, ob capitales inimicitias, ob ingressum in religionem futurum, ob nuptias quoque contrahendas. Et olim beneficii Clerici cedebant ob aliquam ex prædictis causis. Postea vero admitti cœperunt alias etiam cause in beneficiis dimittendis: videlicet, ob Clerici lapsum in crimen, vel in censuram aliquam Ecclesiasticam, vel irregularitatem. Tandem admittæ etiam sunt aliæ cause minus iustæ, & minoris ponderis: velut cum quæ multo tempore in Ecclesia seruiuit. Deinde, ut beneficium dimissum concedatur alteri, cuius causa Clericus beneficium dimittit.

Quinto quaeritur, Quibus de causis admitti queant resignationes beneficiorum extra curiam Romanam coram locorum ordinariis? Respondeo, editam esse à Pio V. Constitutionem, que incipit: *Quanta Ecclesia Dei*: in qua certas quasdam causas recenset, quibus aliquis coram ordinario loci potest beneficium deponere. Nam anno secundo sui Pontificatus, Constitutione quadam præcepit ne ordinarii locorum resignationes admittent, donec certa formula præscriberetur beneficii resignandi. Quare anno tertio insequente Constitutione edita, prædictam formulam præscripsit, ut fraudes, quæ in hac re frequenter committuntur, submouerentur. Prohibet itaque Pontifex ne resignationes deinceps pro cuiusque arbitrio, nullisque, vel certe leuibus causis passim, & temere admittantur. Deinde ait, *ut post hæc Episcopi, & alii facultate habentes, eorum diuitaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiosi, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti aut nequeunt, aut non debent Ecclesie, vel beneficio inferuire, seu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerit, vel quos ad aliud contingerit promoueri: Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim post-*

ea id re ipsa exequantur: Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione Fel. recordationis Innoc. Papa III. de demittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur: Quæ etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad hæc, beneficiorum, vel officiorum permutationes, qua Canonice sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur. Cauent autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Presentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut alia eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat. Ceterum precipimus atque interdiximus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis, & officiis resignandis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinis, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere. Quod si fecerit, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum discernimus non habere: qui vero contra fecerint, ut in eo quod deliquerint, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, presentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique conuenierit, tamdiu suspensi maneant, de ne remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere: Et qui talia beneficia, & officia receperint, eos prædictis poenis volumus subiicere. Et nihilominus in eos qui sic suspensi, conferre, eligere, presentare, confirmare, vel instruere ausi fuerint, excommunicationis, quo ad personas: quo ad Capitula vero, & Conuentus, à diuina suspensionis sententia ipso facto promulgamus: quibus etiam nullus alius, quam ipse Romanus Pontifex, siue absolutiois, siue relaxationis gratiam, excepto mortis articulo, valeat impetrare. Hæc in ea Constitutione. Prima igitur causa, ex qua ordinarii resignationes beneficiorum possunt sua auctoritate approbare, est: cum beneficiarius est senio confectus, quod arbitrio iudicis relinquatur. Secunda: Cum incommoda Clericus valetudine vitur, quod etiam ipsius iudicis arbitrio discernitur. Tertia: Cum beneficiarius est corpore impeditus: vel utcumque lepra, paralyti; aut morbo Gallico, vel Comitiali, aut aliquo alio contagioso, vel periculoso laborat. Quarta: si beneficiarius sit corpore vitiat, cæcus, v. g. claudus, mutus, vel surdus, aut aliquo alio corporis membro abscisso, contracto, vel deformato. Quinta: Cum aliquo crimine tenetur obstrictus: homicidii videlicet, Simonie, adulterii Sodomie, concubinitus, periurii, maledicti in Deum, vel Sanctos in celo regnantes. Sexta: Si censuris Ecclesiasticis beneficiarius fuerit ligatus. Septima: Si nequit, aut non debet Ecclesie, vel beneficio inferuire, ut si sit Clericus publice relegatus, aut arreptitius, aut alitercumque irregularis, aut si raptiter, aut cum aliorum offensione vitat. Octaua est causa, cum duo obtinet beneficia, quorum alterum dimittere debet siue iure ipso, siue iudicis auctoritate. Nona: cum necessitate aliqua fuerit ad secundum beneficium promotus. Decima: Si sit religionem ingressurus. Vndecima: Si matrimonium contracturus. Duodecima: Cum aliqua ad se causa exiit, ob quas Innoc. III. in c. Nisi cum pride, de remon. constituit, Episcopum Ecclesiam posse dimittere. Decimatertia: Si beneficiarius ob capitales inimicitias nequit, aut non audeat in loco beneficii commorari. Deinde vero subiungit Pontifex, ex his causis licere, ordinariis locorum, resignationes beneficiorum approbare: duabus tamen conditionibus seruatis. Vna est, ut si Clericus se beneficio abdicans, sacris sit ordinibus initiatus, habeat unde viuat: alioqui beneficium dimittere non sinatur, nisi sit religionem ingressurus. Altera est, ne ordinarii locorum admittentes ex prædictis causis beneficiorum resignationes, ea beneficia dimissa conferant suis, aut dimittentium consanguineis, affinis vel familia-